

**Disputatio medica inauguralis de febris tertianis intermittentibus /
[William Grieve].**

Contributors

Grieve, Gulielmus.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour, Auld, et Smellie, 1770.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/abcnz5hg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRIBUS TERTIANIS
INTERMITTENTIBUS.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit
GULIELMUS GRIEVE,
BRITANNUS.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

He had a fever.———

And when the fit was on him, I did mark

How he did shake.

SHAKESPEAR.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.
M,DCC,LXX.

DISPUTATIO MEDICA
VINO NOBILISSIMO
IN AUCURALE
DE

REBIBIBUS TENTAMOS
INTRIMITTIBUS

COMITI DE MANTUA ET RUGLEN
ANNUNTE SEMO NUMINE

EX ACADEMIA ROYALI SARDINIAE VII

GUILIELMI ROBERTSON & F. J.
ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI
EX CURIA REGIO DOMINORUM

AMPHIBOL SEMAUS ACADEMICI

IN INSTITUTIONE FACULTATIS MEDICAE
CLASSIUM HORTICULAE PRAEFECTO
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSERVANDIS

EX ACADEMIA ROYALI SARDINIAE VII
GUILIELMI ROBERTSON & F. J.
ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI



HE HAD A FEVER
AND WHEN THE FEVER WAS OVER HE DID NOT
HOW HE DID TAKE

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI
HABITUS VIGORUM
SARDINIAE VII

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI

M.D.C.C.LXX

GUILIELMUS ROBERTSON & F. J.

VIRO NOBILISSIMO

G U L I E L M O

COMITI DE MARCH ET RUGLEN,

&c. &c. &c.

INCLYTI ORDINIS DIVI ANDREÆ EQUITI;

EX CUBICULO REGIO DOMINORUM

UNI;

CLASSIUM SCOTICARUM PROPRÆFACTO;

E T

CURIÆ SUMMÆ BRITANNICÆ,

A PATRIÆ SUÆ PROCERIBUS,

SENATORI HAUD SEMEL CREATO;

OB MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA,

GRATI ANIMI MONUMENTUM,

SUMMA REVERENTIA,

HANC DISPUTATIONEM

D. D. D.

GULIELMUS GRIEVE.

VIRO NOBILISSIMO

DISPUTATIO MEDICA

G U L I E L M O

COMITI DE MARCH ET RUGIEN

&c. &c. &c.

FEBRIBUS TERTIANIS
INCLITI ORDINIS DNI ANDREAE ROJUS

INSTITUTIS
EX CUBICULO REGIO DOMINGRUM

UNI

CLASSICUM SCOTICARUM PROPRIETATE

CLASSICUM SCOTICARUM PROPRIETATE
PACIFICATIONE PHIPPO, APPELLE, INCLAM
TENTATIONE EVIDENTE INTERDICTA, CUM

CURIA SUMME PATRIARCAE

A PATRIA SIVE PROCELIBUS

STANTIBUS HANC SINE CRAYTO

DE MILITIA IN SE COLATA BENEFICIA

TOGATE ANIMI MOMENTUM

DE M. A. N. V. E. N. T. I. A.

HANC DISPUTATIONEM

D. D. D.

GULIELMUS GRIVET

DISPUTATIO MEDICA

DE

FEBRIBUS TERTIANIS

INTERMITTENTIBUS.

FEBRES intermittentes eae sunt, quae paroxysmis pluribus, apyrexia, saltem remissione evidente interposita, cum exacerbatione notabili, et plerumque cum horrore redeuntibus, constant*.

HAE, pro intervallorum diversa diuturnitate, in quotidianas, tertianas, et quartanas, dividuntur. Est autem intervallum, quicquid temporis duarum accessionum initiis interponitur, sive totum illud spatium quod quaelibet pyrexia et apyrexia simul explent. Ita-

A

que

* Cull. Gener. Morb. p. 254.

que quotidianae accessiones, singulae post horarum vicenarum et quaternarum, tertianae post quadragenarum et octonarum, quartanae post septuagenarum et binarum, intervalla, repetunt.

PRÆTER haec genera, scriptores, prae caeteris antiqui, febres intermittentes in quintanas, sextanas, septanas, et sic deinde, deduxerunt; quae quidem formae vel nunquam revera incidunt, vel, si incidant, ad aliquam trium modo memoratarum referre commode queunt. Exempli ergo, siue tertiana unam accessionem intermittit, siue quartanae accessio unius diei spatio retardatur, in utrovis casu quintana subnasci videbitur, et tertiana, duas intermittens accessiones, speciem septanae, et sic deinde, praebebit; quo magis omnem ultra quartanam divisionem supervacuum esse judices.

PORRO, e tribus quae retinuimus generibus, quartanae rariores, rarissimae quotidianae, multo vero longe frequentissimae tertianae sunt. Atque ideo, licet latius intermittentes comprehensus; de his tamen praecipue agendum existimavi.

DENIQUE,

DENIQUE, adeo divisiones supra quartanam locum non obtinent, ut, si quoties tertianae prae quartanis et quotidianis incidant, et quoties in illam hae ipsae posita sua forma mutentur, reputes; profecto unum tantummodo intermittentium genus funditus subesse, idque tertianam esse, dicas; neque, quin quotidiana ad tertianam perpetuo, quartana saepe, redeat, dubito; semper vero quartanas tertianarum naturae esse participes, credere vetant illae aliquando per populum, ab initio ad finem, propria forma retenta, grassantes, et neque aetatum neque naturarum discrimini parcentes*.

QUOD vero ad species tertianae attinet, has, pro signorum differentiis, quae toties cum aliis morbis permiscentur, constituere, foret arduum. Facilius est et majoris momenti pro typorum discriminibus discernere species; quod igitur perficere tentabo. Species memoria maxime dignae, et quae id nomen ulla ex parte merentur, hae sunt: Et primum,

Tertiana

* Sennertus de febris, lib. 2. cap. 20.

Tertiana legitima

EA est, quae tempore supra dicto repetit, et cujus pyrexiae ultra horas duodenas non excurrunt.

Tertiana duplex

QUOTIDIE accidit; ideoque pro quotidiana falli potest: A qua tamen eo distinguitur, quod primi et tertii dierum accessiones inter se magnitudine impetus respondent: Item secundi et quarti dierum: Sed utraeque, scilicet imparium dierum accessiones, ab utriusque, nempe parium, inter se dissimiles.

Tertiana duplicata

ACCESSIONEM duplicem habet, unoquoque die impari, diebus paribus nullam; hanc speciem, quae perquam raro incidit, egregius CLEGHORN tantummodo pro prioris varietate habet.

Tertiana

Tertiana triplex

TRIBUS separatis accessionibus, five pyrexiiis, et totidem unicuique apyrexiiis interpositis, constat; quarum accessionum binæ in dies impares, singulae in pares, incidunt; estque haec vera HOFFMANNO * dicta semitertiana.

Tertianæ spuria et subcontinua

SUNT verae formæ, quas tertianæ, mox in continuas degeneraturæ, aut hæc in illas mox redituræ, assumunt. Est autem spuria ea tertiana cujus pyrexia duodecimam horam transiit; subcontinua, cujus pyrexia viginti aut amplius horas perdurat.

Vernalis et Autumnalis

IN specierum numero apud scriptores locum obtinuerunt: Quæ utique non aliter pro speciebus habendæ sunt, quam quatenus habitum phlogisticum aut putridum designant. Vernales intermittentes, vernis diebus, sub

* Vol. 4. § 1. cap. 5.

sub coelis frigidioribus, robustis et florentibus aetate, contingunt, et in phlogistico habitu praecipue constant; autumnales, autumnino tempore et in calidis regionibus, quae habitum phlogisticum repellunt, dominantur, et putridum habitum frequentissime tenent.

HISTORIA MORBI.

HISTORIAM morbi ita pertexam, ut primum, simplicissimam rationem qua accessiones fiant exponam: Tum quaedam magis infueta, sese in certis rebus implicantia, tradam: Postremo, quibusdam formis insolitis quas aliquando morbus induit commemoratis, orationem concludam.

ACCESSIO intermittentium, nam unam instar omnium exequar, in tria tempora dividi apte potest, scilicet, primum, horroris, frigoris, et tremoris; tum caloris; postremo, sudoris.

QUAE ut non separatim; nam adeo inter se permiscentur, adeoque aliud in aliud incurrunr, ut separatim quaeque orationem parum recipiant;

recipiant; ita perpetua dicendi ferie, sed ordine tamen, persequar.

LASSITUDO, debilitas, cum oscitatione, et quandoque somnolentia, imminenti accessioni antecedunt; homo a motu alienus, degravatus, quiescere recumbens cupit; interdum tergum dolet, cum molesta tensionis circa praecordia sensu; deinde transitus est ad horrorem; extrema pallefcere incipiunt, qui pallor a pedum et manuum digitis versus truncum, a summis naribus ad reliquum vultum, procedit; genae, oculi, et tempora collabuntur; totum corpus contrahitur. Contrahitur praecipue cutis, in qua summa vasa evanescunt; papillae per cuticulam dispositae prominent, qui objectus apud omnes gentes cutis anserina audit. Et jam frigus sentitur, plerumque a pedibus, aliquando a tergo, incipere; huic autem quasi aquae aut aëris frigus affundi aut adspirare videtur; jam corpus omnem frigoris externi auram persentit; neque cutis quoque calor, admoto thermometro, non imminutus*, sed minus quam pro aegrotantium sensu

* Sauvagianis et aliorum experimentis constat, frigoris initio corporis calorem satis multum imminui: Qui id, experimentis quoque captis, negant, sub frigoris finem calo-

sensu cernitur; toto deinde corpore, praecipue tergo, tremuli motus discurrunt. Mox frigoris sensum tremor et convulsivi musculorum succussus comitantur; et, prae caeteris, tremunt artus, et dentes magno cum strepitu crepitant.

CUM haec aliquamdiu rerum facies permanfit, tum calor, primum circa praecordia rediens, paulatim ad alia corporis accedit;isque cum frigore tantisper alternans, tandem frigus superatur, simul tremor desinit. Calore sic per totum corpus diffuso, color ad summa corporis et plenitudo redeunt; quibus crescentibus, vultus et oculi cum rubore turgent; caput dolet; arteriae temporum valide vibrant; turbantur sensus; et modo delirat homo, modo comate et accessione apoplectica, somnum referente, consopitur; neque prius excitatur, quam affluere sudor coeperit.

SUDOR circa cervices et pectus primum fere oboriens, prout latius per corpus effunditur,
turbas

rem duntaxat explorant, quo tempore frigoris sensu nondum summoto, tamen calor corporis naturalis aut major esse incipit: Neque alia de hac re controversiae causa est, nisi quod diversis accessionis temporibus experimenta capta videntur.

turbas cohibere, deinde levare, postremo, ipse jam toti corpori communis, pellere omnes follet, et apyrexiam restituere.

ATQUE haec omnia evidentiora sunt; sed et alia per accessionem incidunt, quae et servanda diligenter medentibus sunt, nec nobis hoc in loco praetermittenda.

PULSUS ante accessionem gravatus tardescit; qua coepta, idem parvus, debilis, frequentior, et saepe expers ordinis; aliquando tamen plenior et validior * evadit; mox, decedente frigore, etiam plenior, validior, minus frequens, ordinis tenacior, sed adhuc durior, et contractior, ad sudorem perstat; post quem, mollior et tenuior usque factus, demum ad naturalem modum redit. Neque

SPIRITUS non etiam afficitur, qui, veniente accessione, anxietati circa praecordia sentitae, parvus, deinde frequens et difficilis, succedit; simul tussis continua saepe vexat: Idem, calore accedente, major, minus creber, laboriosus minus, tandem, diffluente sudore, solvitur.

B

SECRE-

* Cleghorn's diseases of Minorca.

SECRETIONES, manente frigore, multum imminuuntur; cutis, os, et lingua, arescunt; sitis inexplebilis est; urina aut nulla, aut parca, limpida, inodora, nec sedimentum habitura, effertur; contra, sub caloris finem, cum ore cutis humescit; promptius et copiosius effluit urina, quae, procedente etiam accessione, colorata, crassum ac lateritium quasi quiddam ad imum vasis dejicit: Quod si forte quid exulceratum alicubi corporis est, id inter frigendum arescit, inter calendum in majus inflammatur, inter sudandum humorem libere fundit.

APPETITUS, praeter sitim quam immodice auctam diximus, frigoris stadio delentur, cibi et prae caeteris carnes fastidiuntur. Ventriculi languor, nausea, et saepe vomitus, hoc tempore incommodant, quae, accessionis progressu decrefcentia, sudore soluto tolluntur.

ATQUE haec omnia fere pyrexiae communia sunt. Verum, ut pyrexiam inter et apyrexiam limites non ita discreti sunt, quin in hac, sive paulo post illam praeteritam, seu paulo ante futuram, quaedam, si non febrilia, tamen molesta, quandoque accidant; ita de iis pauca quoque dicenda sunt.

SOLUTA

SOLUTA jam accessione, languor quidam et debilitas, cum insigni frigoris externi sensu, manent; quo tempore, urina reddita lateritium aliquid dejicere non cessat. Item paulo ante proximam accessionem, saepe molestiae, cum capitis et tergi doloribus, sentiuntur; suntque ea quoque citra febrem solita. Verum

QUÆDAM insueta magis, licet rara, non tamen omittenda sunt. Aliquando sine frigore accessio est; pro quo, aliquando apoplexia *, aliquando delirium † magnum, incidit; estque ubi calori loquacitas insueta, et similia plura ‡, antecedunt.

FORMÆ insolitae, quas intermittentes quandoque induunt, cognoscantur quoque oportet. Itaque nunc pro lethargo apparere, nunc graves capitis dolores imitari, nunc intestinorum dolorem et tormina simulare, nunc convulsionem, nunc asthmatis, nunc ophthalmiae, species, sumere visae adeo sunt, ut, intermittentes essent, necne, judicatu esset anceps.

QUÆ

* Sydenhami oper. 307.

† Pringle's diseases of the army, 182.

‡ Senac de recondita feb. intermit. 25.

QUÆ tamen, quo magis ad hanc rem et locum pertinere credas, affectus intermittentium esse scias; si eum qui his ante laboraverit afficiunt; si subito cum magna debilitate, oscitatione, capitis dolore, et similibus, accedunt; si post certum tempus cum sudore remittunt; et certius etiam, si circuitibus intermittentium solitis, aut circa hos, cum frigore accessio fit; si, post hanc, lateritium aliquid urina dejicit; si causae intermittentium remotae praecefferunt; postremo, si, quo tempore haec omnia fiunt, intermittentes per populum grassantur.

CAUSÆ REMOTÆ.

CAUSAS remotas seu principia tradendo, de eo primum quod frequentissime ad febrium intermittentium exortum pertinet, scilicet inquinamenti palustribus, agam.

IN regionibus septentrionalibus, ubi frigora intensa et continua sunt, febres intermittentes nunquam incidere; contra, in plagis meridionalibus, ubi calores magni sunt, per populos,

los, praecipue aestate et autumno, grassari, et hyemalibus frigoribus, dummodo haec fatis magna sint, reprimi rursus, notae sunt; unde calorem his febribus constituendis quodammodo necessarium colligo *.

VERUM, quanta quanta sit caloris vis febres intermittentes gignendi, inquinamenta, de quibus agitur, ab humoris vicini copia oriantur necesse est. Itaque, nisi in locis palustribus, in aquae stagnantis vicinio, juxta lacus fordentes, fossasque, hic morbus endemicus non est: Quamdiu piscina Stutgurdiae fuit, intermittentes malae dominatae sunt, qua deinde exsiccata et in amoenum pratum mutata, illae adeo rarae exstiterunt, ut endemicae amplius non appellandae viderentur; et quicquid morbi restitit, id a quibusdam fossis suburbanis retro repetendum repertum est †. Adeoque humiles et humentes loci, ad morbum generandum valere, adeo ab eodem editi ficci-que liberi esse, ab omnibus dicuntur, ut intermittentium

* Quod vero attinet ad anni tempora, certe cujuscumque generis paludes, media hyeme donec flaverint austri atque alii venti quibus incalescat verna tempestas, innoxiae sunt. Lancisii oper. lib. 1. p. 1. cap. 5.

† Lancis. opera lib. 1. p. 1. cap. 3.

termittentium numerum pro humoris abundantia esse credas: Quod tamen humor, quantus quantus fit, ne calore quidem adjutus praestare potest; quid enim ab utroque nisi halitus aquosi copia magna oriri potest? Quae tantis morbis, quantae intermittentes vulgo sunt, gignendis par esse minime potest. Non nautae, non lacubus dulcibus accolae, prae caeteris, intermittentibus laborant: E contrario, lacus propemodum exsiccati endemicas intermittentes fecisse dicuntur; nisi repletis iterum dulci aqua eorum alveis, non removendas.

NOXA igitur intermittentes excitans plus agit quam simplex humoris et caloris vis; itaque cum cives quidam Romani rus forte proficiscerentur, ventus subito mutatus e tractu paludum adflavit, quo facto, quotquot hoc iter una fecerant, intermittente mala correpti sunt. Unde colligi licet, vehementem hunc et subitum effectum a potentissima causa oriri; neque in hoc casu dubitandum est, quin e palude halitus summissus insignem aliquam mutationem, qua adeo nocens facta sit, subierit. Cum autem putredinis opus potentissimam noxam edat, ita eam de qua agitur in putredine consistere verisimillimum est: Verum, ut jam ante

ante dictum est humor et calor, quae putredinem, intermittentes etiam, gignunt; quo magis inquinamenta palustria putredine has febres facere existimes.

PUTREDINIS materia est ea quae ab animalibus et plantis corruptis oritur, causa corrumpens calor cum humore est. Cumque totus terrarum orbis hanc ubique materiem suppetat, et in plerisque locis causa corrumpens suppetat, mirum non est quod adeo late per orbem febres, cum aliae, tum, prae caeteris, intermittentes dominantur. In plagis terrarum calidioribus nihil praeter ficcitatem et bene perflatum aëra iis occurrere, in frigoribus intensis nulla aut humoris aut stagnationis vis easdem gignere, potest.

PORRO, inquinamenta ipsa materia corruptrice instructa esse, experimento claro LANCISIUS demonstravit: Is pannum laneum sumpsit, dimidium linteo cerato tectum, dimidium alterum vento e paludibus perflanti obiectum; quem deinde sequente die convolutum in angulo domus posuit; cumque aliquamdiu post evolutum inspexisset, partem quae inquinamenti patuerat, plenam vermibus diversarum figurarum, atque etiam minutissimis ovulis, cinerei praecipue coloris, in-

star

star lendium, quorum sane alia uno latere turbinatam, alia fere sphaericam, alia denique ovalem figuram, reperit. Contra vero, portionem panni, quam tela cerata palustribus effluviis inquinare prohibuit, nullis prorsus foedatam vermibus, vel ovulis deprehendit *.

UNDE et vermium in his et similibus febribus generata copia obiter explicabilis est.

Ex his dictis, unde etiam, quod lacus et inundationes vix in quantumvis magno calore periculo sint, priusquam aqua eo usque exsiccata fuerit ut limus jam eminere supra summam eam incipiat, disci clare potest. Itaque in Ægypto Inferiori, inundante Nilo; accolae secunda valetudine utuntur: Quo in proprium alveum refluyente, et varia ex animalibus et plantis impuro aëri objecta destituyente, cum aliae malae, tum prae caeteris febres intermittentes, erumpunt.

Ex quo ne humorem quidem cum calore, data etiam materia corrupta, ad putrefaciendum hanc sine aëris aditu, sufficere manifestum est: Quo quidem fit, ut aër conclusus et stagnans paludum insalubritatem augeat, et
in

* Lancis. lib. 1. p. 1. cap. 16.

in locis calidioribus silvae praecipue sint pestiferae.

EA EDEM febres, quo calidius coelum sub quo nascuntur est, eo pejores erunt; si quidem calor non solum earum rerum, quae ad inquinamenta generanda pertinent copiam adauget, sed et ipsa inquinamenta magis potentia reddit; Quae quidem pro fermento putrido agere, hoc insuper indicio est. Quod in aere iis repleto leves intermittentes cito pessimam naturam assumunt, et variolae adeo in putridam naturam eodem tempore ruunt, ut ex universis corporis foraminibus sanguis saepe dimanet; simul cibi ex animalibus parti rapide putrescant.

IN regionibus calidis signa intermittentium putredinis multo quam alibi majora et magis evidentia sunt; propterea quod illic habitus in putredinem magis vicinus est, et inquinamenta magis potentia cito humanos humores in suam naturam convertunt, et sic formidandam morbi faciem ostendunt.

IN hujusmodi casu intermittentes contagione praecipue propagantur. Ergo credibile est, nisi in regionibus calidioribus, ubi malam na-

C

turam

turam adeo facile assumunt, per contagionem non spargi.

IN regionibus magis septentrionalibus signa putredinis pauciora sunt; verum magna, quam una et altera accessio infert, debilitas, quaeque in multum indies augetur, morbi naturae aliquid quasi putredinis subesse, argumento est.

HAEC putrida inquinamenta facile in ventriculum descendere, ibique similem naturam gignere, possunt. Cujus naturae, bilis quo tempore hae intermittentes febres vigent abundans, facile fit particeps. Unde, quare tantum bilis corruptae in his morbis fit, in promptu ratio est; quae corrupta bilis natura nonne vim feбри addere potest?

VERIQUESIMILE est, bilem proprio quodammodo per inquinamenta mutatam et corruptam, dysenteriam potius, quam febres intermittentes, gignere.

EADEM inquinamenta porro potestate septica nos afficere, hoc etiam aliud indicium est, quod cibi aut potionis materia naturae septicae resistenti viventes a morbo liberiores evadunt. Itaque clariss. CLEGHORN, eos qui vinetorum custodiam agere jussi erant,

et

et duos menses uvis, ficis, et similibus fructibus, vitam sustentaverant, ipso tempore quo intermittentes saevissima strage grassarentur, bene fere valuisse, auctor est *.

POSTREMO, septicam seu putridam inquinamentorum cum naturam, tum in nostris corporibus actionem, visa in cadaveribus confirmant. Incisis CLEGHORN cadaveribus, omentum, mesenterion, colon, et similia intus, vel nigra vel prorsus corrupta deprehendit †. LANCISIUS “intestina fere undique sphacelo tentata continere foedissima recrementa, vermiumque copiam,” observavit ‡.

INQUINAMENTA ipsa septica esse, et ad consimilia effecta praestanda et putridum in nostris corporibus fermentum movendum, pertinere, demonstrato; restat ut eadem inquinamenta, quod ex intermittantium febrium historia disci potest, citra fermentum putridum evidens, ita in cerebrum agere, ut eas febres efficiant, deinceps ostendatur: Quae in cerebrum, citra putredinem, actio iis fere usu venit, qui
in

* Cleghorn's Diseases of Minorca, pag. 178.

† Ib. pag. 165.

‡ Lancisii Oper. Lib. 1. Epid. 1. cap.

in regionibus frigidioribus longius a paludibus habitant, et quorum vires concoctrices validiores, et humores integriores, fortius fermenti potestati resistunt.

EJUSDEM actionis effectus, intermittentium de quibus agimus, funditus origo causae est; dum putrida signa, quae jam relata sunt, tantummodo secundum locum obtinere, et sub habitu corporis ad putredinem vicino, et magna inquinamentorum potentia, tantummodo agere judicanda sunt.

INQUINAMENTORUM haec in cerebrum actio sedans est; quippe quae ejusdem naturae sit ac vapor gangraenosus, qui adeo ad mortem inferendam potestate debilitante pronus est. Cum qua inquinamentorum vi sedante, quod omnibus sedantibus, puta opio et similibus, commune est, stimulans quaedam interdum complicatur; itaque prima inquinamentorum perveniens ad cerebrum vis phrenitida fecit; Et in validis ac robustis corporibus, praecipue habitum phlogisticum habentibus, ut intermittens primo quoque tempore continuae febris formam indueret, in causa fuit.

SIC

Sic inquinamentorum origine, natura, et præcipuis effectibus explicatis; jam monendum videtur, eorum effectus non eosdem esse, quos uniuscujusque aliis rei, quae a certa putredine proficiscens, ad eandem certo modo generandam pertinet, haberi oportere. Nam multi, miris modis, quasi gradus potestatum putrefacientium sunt; quorum plerique parum adhuc comperti diversissimos natura effectus edunt; et, siue materiem fermentationi subjectam, seu varia materiae fermentandae necessaria, mutamus, effectus quoque, seu res procreata, mutabitur. Nihilo tamen minus, utut singulae ejusdem putredinis potestates inter sese varient, hoc omnibus commune est, ut tales effectus, qualis causa generans fuerit, edant, omnesque magis aut minus sedent.

Ex dictis de inquinamentis, ea ipsa per se, aut ea contagia, ubi satis magna copia aut valide satis corpori incumbunt, in quolibet fere habitu, morbum facere posse discitur; e natura tamen inquinamentorum, quoque et intermittentium historiis per populum grassantium, eos facilius aliis, quorum corpora ad putredinem magis vicina, aut debilia atque mobilia sunt, affici discimus.

DE habitu in putredinem magis vicino pauca dicam.

FEBRES intermittentes, ut ante dictum est, plerumque, praecipue aestate et autumno incidunt, quo tempore firma simplicia resolvuntur, fibrarum motricium vis imminuitur, et totius corporis habitus magis, quam ullo alio tempore, is est qui putridus vulgo audit. Qui habitus qualis re vera fit, dictu difficile est; nisi quod hoc constat, noxas putridas, hoc tempore corpori admotas, ut hujus humores ad mutationem et similem iis naturam, vergant, efficere.

Cujus habitus causae e caloris et humoris in corporibus nostris effectibus trahi forsan potest. Uterque autem, hoc de quo loquimur tempore autumnali, suppetunt; nam autumnales dies calefcere adhuc perstant, et longiores, quam aestivae, noctes humoris abundantiam praebent. Verum, ut de utroque verba ordine fiant:

CALOR, paulatim agens, ut modo dictum est, firma simplicia resolvit, fibrarum motricium vim imminuit, et earundem mobilitatem auget; idem subito admotus, una cum inquinamentis vel contagione, intermittentes

tes in continuarum formam magis inclinatas dabit. Quin et fieri potest, ut, fluentiores humorum partes e corpore dissipando, reliquos acriores reddat, aut motum eorum intestinum augendo, salinam materiem evolvat; et sic quoque acrem iis naturam impertiat.

HUMOR, cum calore conjunctus, firmorum resolutionem multum auget, et perspirationem impediendo, deteriores humores intus efficit: Perspiratio autem dupliciter cohiberi potest; nam firma viva vel adeo elanguent, ut partem humorum, quam ejici salus postulat, ejicere nequeant; vel aer, jam humore satur, vaporis perspirabilis non satis queat recipere. Verum, quaecunque sit rei causa, aut quacunque eam explices, res ipsa certa est. Nec quisquam dubitet, quin, in humido aere, pars humorum, qui perspiratione exire debet, intus retenta, reliquos deteriores quodammodo faciat.

DEBILES et mobiles corporis habitus, praeter caeteris, ut ante dictum est, inquinamentorum aut contagionis noxam recipiunt, et, cum ea agentes, ad morbum gignendum faciunt.

VERUM ea ipsa inquinamenta, aut contagia, licet re vera in corpora insint; tamen, ni-

si ab aliquibus causis debilitantibus adjuncta, saepe morbum efficere nequeunt. Hujusmodi causae, quae occasionales dici possint, sunt

FRIGUS et humor corpus male afficientia; animi affectuum deprementium effectus, qualis tristitia, metus, desperatio, et id genus; nimia Venus; quaedam ventriculi, praecipue e cruditate ortae, affectiones; fatigatio et vigilia; humorum, sive sanguinis amissione, sive alvo purgato, seu aliis excretionibus auctis jactura; immodica potatio; et alia similia.

CAUSA PROXIMA.

CAUSAM intermittentes febres continentem in cerebro et nervis sedere, jam inter plerisque convenit. Multa id suadent, quorum uno ero contentus, scilicet inquinamenta, vel contagionem, ad actiones suas solis animi affectibus, adeoque subito, saepe impelli, ut neque simplicia firma neque humores quo mutantur tempus permittatur.

DE

DE qua re, quo accuratius judicetur, quae incipientibus intermittentibus signa prima prodeunt, considerandum est. Ea debilitas et languor sunt: Quae motus animales, qui dicuntur, et cerebri vim multum debilitari docent.

EARUNDEM harum febrium causas remotas et posse, et re vera pro sedante agere, ideoque et hanc cum languore debilitatem, quam principem in intermittentibus affectum volo facere, demonstravi. Quae res, si quae protinus principem affectum sequuntur signa perspiciantur, porro confirmabitur. Itaque fibrarum musculosarum vis imminuitur, cor et arteriae languidius agunt, harum percussus parvi debilitantur; qui cordis et arteriarum status brevi totum corpus adficit; summum corpus, sanguine in ejus vasa extrema parum valide impulso pallefcit; summoto e vasis sanguine, praecipue iis quae longissime e corde distant, haec per simplicem suam elasticitatem contrahuntur; quae contractio, vi insita ipsorum vasorum, quae per vim nervosam usque intenditur, ob hujus quoque defectum languentem etiam in majus augebitur. Qui posterior effectus periphericus spasmus

D

dicitur,

dicitur, cum e contrario, absente spasmō et sanguine sua vasa debito ritu replente, corpus sub perpetua quadam tensione teneatur, et color naturalis fervetur.

DEBILITATÆ cerebri sic per universum corpus visæ, actioni, mox aucta cordis et arteriarum supra naturæ modum succedit; quæ aucta cerebri vis, minutam illam usque excipiens, ideo ejus ut causæ effectus habita est: Qua autem ratione quove pacto illa hanc, scilicet debilitas cerebri ejusdem vim, quam ante, validiorem efficiat, nondum explicatum, ego ad eam corporis legem in qua vires medicatrices * constant, rem integro referendam judico; per eam legem corpus noxia repellendi, eorum effectibus resistendi, et proprium suum libramen restituendi, potestate præditum est.

AD quam rem illustrandam, exemplum simile a rebus sedantibus traham; ab iis enim cerebri actionem debilitantibus, cordis tamen et arteriarum vim intendi haud ambigue cernitur; itaque opium, a quo vim cerebri immi-
tui nemini non notum est, certo modo da-
tum,

* Gaub. pathol. § 633.

tum, ejusdem vim, praecipue qua ad cordis et arteriarum motus dirigitur, tamen intendere potest.

PORRO, ne quid, quod ad nostrum hujus rei judicium declarandum pertineat, omittatur, modo dictum est pallorem a cordis et arteriarum debilitate, qua haec sanguinem ad summi corporis vasa extrema propellere nequeunt, a vasorum simplici ob sanguinem subtractum elasticitate, postremo a vi insita, ob nervosae potestatis qua aliqua ex parte haec sustentatur defectum, languente, suboriri, et sanguinis, sua vasa replentes, tensioni colorem naturalem deberi: Nunc quod haec signa manente frigore manent, eadem res et praecipue spasmus in causa est. Sublata enim subito tensione qua fibrae musculares distenditae tenebantur haec non contrahuntur solum, sed distendente causa ablata, neque vi nervosa ad ipsas solita copia perveniente, constringitur; quo spasmus fit ut effectus ejus, quos memoravimus, toto caloris tempore permanant, idem cordis et arteriarum impetui jam renovato usque resistens, et ea irritans nisi repetita cerebri actione, et sudore demum undique

dique dimanante, et omnia summa vasa relaxante, non exsuperabitur.

EST spasmus, a frigore, saepe nulla prae-eunte debilitate effectus, quod minus rem reputantem in opinionem adduceret, quasi frigus renovatam, de qua loquor, cerebri actionem funditus praestaret; quod neutiquam frigus facit. Et tantummodo ejus actionis jam ante renovatae signum, non causa est; itaque in variis phlegmaticis humorum congestio, plenitudo, et similia praecedunt, quae molestiam exhibendo, et cerebrum irritando, hujus actionem, prae-eunte frigore, renovant. Quod ipsum frigus renovatae actionis, non causam, sed signum, esse ostendit. Sed hoc sic interveniens frigus spasmus roborare, et ut difficilius, quam sine eo, vincatur, efficere potest.

PROXIMAM igitur intermittentium causam in his tribus statibus, cerebri et nervorum debilitate, spasmu peripherico, et actione in majus renovata, consistere, demonstrare sum conatus; qui tres status, ut manifesto re vera adiunt, ita quo modo alius alium efficiat ignoratur; et donec de nervis doctrina, a cujus cognitione

cognitione haec pendet, penitus innotescat, usque ignorabitur.

RATIO MEDENDI.

FEBRIUM intermittentium curatio in duas partes discedit, dum vel in accessionibus praesentibus tollendis versatur, vel extra has ad futurae occurrendum dirigitur.

AD accessionem praesentem tollendam, moderari spasmo, quantum in potestate nostra est, eundem solvere adnitimur; eo consilio, quo facilius citiusque accessionem quoque solvamus: Quod quidem *emetiis, salibus neutris, potionibus diluentibus, et antispasmodicis* quae proprius sic dicuntur, moliri solemus.

Quo deinde facto, et accessione vel conatibus nostris intercisa, vel cursu suo utique peracto, auxilia adversus causarum remotarum vim et actionem adstruimus.

Quod duabus rationibus adgredimur, primumque, prout in habitum phlogisticum agunt, *sanguinis detractione*, quae insuper adversus aliquos adfectus, si opus fuerit, in ipsa accessione bona est; item per *vesicatoria* et similia; postremo

postremo, alia *antiphlogistica* auxilia aduersamur.

RURSUS earundem caufarum remotarum actionem, prout in habitum ad putredinem inclinantem convertitur, five in primis viis per *emetica*, *carthartica*, et *clysteres*, five in reliquo etiam corpore per *antiseptica*, quae putredinem accumulare intus prohibent, retundere confilium est.

PORRO, ne accessio redeat, pro virili nitimur, primum quo minus spasmus efformetur, *emeti- cis*, et *antispasmodicis*, prohibendo.

VEL efficacius id attentamus, debilitatem, quae ultima mali radix est, calido pyrexiae aestu arte ante frigus morbi excitato, *calore*, sudorem *moventibus*, *stimulantibus*, *exercitatione vehementi* adhibitis, removendo.

VEL ad eandem rem praestabilia etiam sunt *tonica*. Quorum e magno numero qui adhibitus est, ea reliquis praestant, quae, praeter eorum in genus nervosum actionem, qua radicale malum depellunt, haud exigua potestate antiseptica insuper pollent; et causa remota quam ad putridum fermentum intus agere dictum est, quo minus intus augeatur prohibent. Ea autem e fossilium genere sunt *fer- rum*, *cuprum*, *alumen*, *arsenicum*; e plantarum na-
tura,

tura, vel adstringentia, ut *gallae*, *cortex quercinus*; vel *amara*, ut *gentiana*, *chamomelum*, *absinthium*; vel qui utramque proprietatem, et adstringentem et amaram, possidet, *cortex peruvianus*.

Sic consiliis medendi propositis, et remediis commemoratis, de horum praecipuis, nam de omnibus tempus non permittit, fusius paulo loquemur.—Quod ad

EMETICA attinet, quod ea duobus medendi consiliis accommodentur, quo clarius intelligatur, eorum communem actionem paucis explanabimus.

EMETICA plena dosi data, supra, et saepe, pylorum transeundo, infra etiam purgant.

EADEM saepe vigore et robore aliquamdiu post vomendi actionem permanente nervosum genus impertiunt*.

ITEM citra vomitum, nauseam solum faciendo, et ideo parcius data, quae parcitas in aliis major, in aliis minor tamen est, humores ad summum corpus potenter revocant, ibidem spasmus resolvunt, et varias secretiones, praecipue cutaneam, adaugent.

ERGO, cum hi posteriores emeticorum effectus

* Pringle's diseases of the army, pag. 293. 306.

fectus sint, quare, cum ante accessionem data sunt spasmum superando, illam multam adlevant, aliquando ei omnino occurrunt, ratio in promptu erit, quin et iidem eorum in genere nervoso effectus, paulo saepius iterati, saepe morbum funditus sustulerunt.

NEQUE minus, excretiones promovendo, et vasa excernentia emulgendo, ad viscerum congestiones, quae toties in hoc morbo adveniunt prohibendas, insuper valent.

PORRO, largius ut dictum est data, humores, qui adeo in ventriculo et intestinis abundare solent, EMETICA etiam ejiciunt; verum hac mente quamprimum post coeptum morbum danda sunt. Eadem saepius repeti prout ventriculi adfectus, cibi fastidio, nausea, malo oris sapore, et similibus notis, poscere videbuntur, convenit.

Quos omnes effectus optime praestat tractabile tartarum emeticum, quod vel largo dari ad vomitum movendum, vel parvis portionibus ab octava parte ad dimidiam grani, vicesimo vel tricesimo quoque minuto, ad vomitum usque, causa spasmii solvendi, oportet.

SALES NEUTRI.—Saliū neutrorum in intermittentibus febribus utilitas in antiseptica, sedante, refrigerante, et plerumque al-

vum

vum purgante facultate consistit. Vis antiseptica adversus tertianas regionum calidarum potens est; quippe quae fermentum putridum in primis viis latum corrigat, cum correctum, vis alvum purgans idem e corpore educere tendat, facultas sedans et refrigerans diutius non permanet, citoque cerebri actionem renovat, et ad summum corpus revocat. Quo effectu potissimum hi sales spasmus moderantur, facilioremque resolutu reddunt, et sudorem liberiores profundunt; e variis salibus, sal ammoniacus, digestivus, et neutri compositi ex alkali volatili, qui compositis ex fixo praestant, potissimum adhibentur; quorum si virtus, ut nonnullis placet, statu effervescente augetur, quo in statu, et dati sunt, id a copia aeris mephitici in ventriculo sic generati pendeat, necesse est; quippe qui, sedante vi, cerebri renovatam actionem augere; antiseptica putredinis periculo resistere posse videatur: Ad

ANTISPASMODICA, —pertinens opium, in accessione datum, optimum esse Cel. LIND, qui plurimum in his morbis versatus est, anno MDCCLXVI comperit. Idem, cum in apyrexia daretur, ne minime quidem profuisse; cum in frigore adhiberetur, in uno aut altero singulari homine, e trecentis ac amplius, ac-

cessionem tollere visum est; cum vero hora post coeptum calorem dimidia administraretur, plerumque praesentem opem tulisse, accessionem abbreviasse et leniisse, capitis dolorem summovisse, cutis ardorem extinxisse, mox sudorem toto corpore, cum grata cutis molitiae, profudisse, et post placidum et recreantem somnum, quem saepe inducit, vigilantem demum magna ex parte ab omnibus molestiis liberavisse, et, morbo pro tempore sic interciso, opium corticis Peruviani usui commode viam sternit. Et praeterea, hanc medicinam, febris magnitudinem frangendo, et diuturnitatem imminuendo, adeo illaefam valetudinem relinquere, ut nullus hydrops, icterus nullus sequeretur, idem Cl. Vir adjecit.

SANGUINIS DETRACTIO—Licet minus ad intermittentibus medendum pertineat, saepe tamen ad quaedam levanda requiritur; nam si inquinamenta vel contagio, instar opii paululi dati, vim stimulantem exserunt, magisque si ea vis in habitum phlogisticum convertitur, quo in casu, saepe primo quoque tempore phrenitis existet, sanguis detrahendus

dus est. Neque id omittendum, si frigoris tempore, in eo qui plenus est, sanguis in interiora ruens periculum intentat. Item adversus periculum sub calore, ne sanguis rarior factus vasa difrumpat, Cel. Van SWIETEN idem remedium suadet. Illustrissimus JOANNES PRINGLE tertianas, interposita remissione tantum, sanguine misso, in easdem rite intermittentes mutatas, dicit: Id factum, in habitibus phlogisticis, in quibus sanguinis missio prodest, putandum est; ad quam, e contrario, in corporibus ad putredinem vergentibus, raro aut nunquam decurrendum.

POSTREMO, quod ad tempus detractiois attinget, licet res supra de frigore relata eam aliquando requirat, tamen nunquam in frigore praesente, aut instante, et quolibet alio morbi tempore, vel in pyrexia, vel apyrexia, fieri tuto potest.

LICET autem supra emetica, aliquando pylorum transeundo, infra etiam purgare, et sic humores nocentes undique e primis viis secum auferre, dicta sint; tamen cum ea hanc proprietatem minus valide praesentent, ad alia, quae ad hunc effectum sua magis natura accommodantur, fugiendum est: Ea autem

CATHARTICA sunt; quorum, pro coelorum temperie, diversitate, delectus est habendus. Cum igitur, sub coelis calidis, primarum viarum sordes, si non ejiciuntur, morando in magis putridas vertantur, et corpus haud leviter irri- tent: Item prae caeteris humoribus, bilis acris reddita per inquinamenta vel contagionem septi- cam quasi naturam acquirat, sordes quam maxi- me depellendae sunt. Quod autem ad purgan- tium genus attinet, illarum regionum medi- ci maxime refrigerantia respondere, usu com- pererunt; cujusmodi fructus, sales neutri, tar- tari chrystalli, et similia, sunt.—Quae omnia canalem alimentarium minus stimulant, om- nia putredini resistunt; ideoque imprimis u- tilia: Itaque iis et accuratius et longius per morbi cursum utendum est.

CONTRA, in plagis frigidioribus, ubi sordes minus acres sunt, et minus in putredinem pronae; ideo minus de antisepticiis remediis sol- liciti sumus, minus etiam diuturnum purgan- tium usum quaerimus: Itaque semel alvum, ante tonica data, purgasse, sed adversus tor- pentia magis nostra corpora magis stimulan- tibus rebus convenit; cujusmodi sunt, aloes, rhabarbarum, jalapium, et id genus alia.

EORUM tamen stimulus intra modum consistere debet: Ergo doses nimiae non esse debent; ne acrius agendo, ideoque corpus debilitando, et vires frangendo, pro medicamentis noxae sint, et difficiliorem solutu morbum reddant.

CATHARTICA, de quibus dictum est, sive in calidis sive in frigidis plagis adhibita, praeter jam memoratos effectus, alia commoda promittunt; nam ad spasum, pariter in intestinis, ac in summo corpore nocentem, resolvendum, varia vasa excernentia, in eum canalem se aperientia, emulgenda, et congestiones, toties in hoc morbo incidentes, prohibendas, summopere etiam valent.

QUIN et, soluto jam morbo, leniter alvum solventibus, quo minus hujus saevities irritans, cum aliis noxis conjuncta, ad redeundum morbum pertineat, opus aliquamdiu erit.

JAMQUE ad medicamenta, quae ad morbo radicitus medendum pertinent, transiunt, cum, in necessaria hujus disputationis de longa re brevitate, omnia comprehendere parum liceat; ita quaedam, de maxime efficaci, et

et prae caeteris memorabili remedio, nempe cortice peruviano, dixisse contentus ero.

Corticis peruviani—Magis magisque fama fecunda est, ut opinor, quia idonea ejus tractatio magis nobis innotuit; nam, licet ab imperitiore tractatum, ut multa alia medicamenta, nocere non dissimulandum fit; tamen, in manibus medici prudentis, nihil magis tutum, aut utile, compertum est.

CUM viscerum obfarciones, hydropes, icterum, et alia mala, longe cortex facere a multis dictus sit; id factum, quia morbus suum cursum decurrere permiffus fit, et mendentem timor a maturiore remedii usu absterruit, jam experimentis compertum est.

SUPRA dictum est, quaedam ante hunc datum corticem auxilia in usu vocanda; quae, si, ut saepe in calidioribus locis fit, necessitas urget, in prima accessione et apyrexia prima administrari; satisque temporis, quo cortex ad secundae accessioni occurrendum praebeatur, interponi oportebit.

IN plagis vero septentrionalibus, ubi neque adeo rapide vis morbi crescit, isque raro formam malam assumit, minus ad secundae accessioni obviam eundem sollicitudine erit opus. Ve-

rum,

rum, ne in hujusmodi quidem locis, et morbo vel lenissimo, is in longius decurrere permittendus, nisi in uno, de quo mox agam, casu, est. Quia hoc ubi fit, ne mala effecta supradicta trahantur, et morbus, per consuetudinis vim, usque repetere pergat, periculum est. De qua re duo praecepta communia proponam.

PRIMUM igitur, intermittentes, si eum adficiunt qui nullo priori morbo simul laborat, nullo modo percurrere sinendae sunt. Falsum enim est, renovationem accessionum harum febrium esse, quasi varium vitae genus, quod CELSUS * ad vitae longinquitatem conciliandam praecipit. Vitae enim varietas nullo alio modo mihi, ad ejus longinquitatem facere, quam a remotis morborum causis magis defendendo, videtur: Quod accessiones intermittentium adeo non faciunt, ut, e contrario, partim morbos protinus creent, partim, corpus debilitando, id aliis deinde opportunum relinquunt.

PORRO, non solum in regionibus calidis, ubi, ut dictum est, adeo cito formidandus esse, incipit, verum etiam in frigidis, ubi autumnali

* Lib. 1. cap. 1.

nali tempore incidit, et a putredine alienus non est, morbus praecidendus est.

NEQUE ab his duobus praecipis ulla morbi species excipienda est, praeter tertianam legitimam, verno tempore incidentem, cujus causae remotae minus graves sunt, et quo affectus homo aliquo simul morbo, quem intermittentes tollere posse notae sunt, ut capitis doloribus, epilepsia, paralyfi, hypochondriasi, ventriculi vitiis, asthmae, et cordis palpitationibus, afficitur.

VERUM etiam, hos morbos tollendi causa, tertiana legitima, quam excipimus, non in infinitum procurrere, sed pro medicina administrari; et, nisi proficere videbitur, fisti etiam debet; simul medicamenta lenientia supra memorata, prout opus erit, adhiberi, et in locum, causarum remotarum expertem, homo deportari.

PRÆCIDENDI igitur intermittentium cursus necessitate demonstrata, ad remedium quo id certissime fiat, corticem peruvianum, recurrendum est.

HIC, inter plerosque convenit, ex amara, adstringente, et quodammodo aromatica virtute, constat.

IDEM

IDEM nostra corpora, praecipue per tonicam, partim antisepticam proprietatem, adficit; quem pro tonico agere, affectus ejus in arterias quarum actio citatior est, et in omnibus phlegmatis nocens, contra, nervis debilitatis, ideoque arteriarum tono imminuto, bonus argumento est. Rursum antisepticam ejusdem potentiam experimenta PRINGLEANA clare demonstrant. Qui uterque effectus in intermittentibus edi compertus est.

CAUSAE remotae, ut supra est ostensum, intermittentium, in cerebrum et nervos sedante proprietate agunt; eaque debilitatem seu atoniam, quae morbum funditus continet, infert.

HANC atoniam tonica corticis peruviani virtus auferendo, accessionum reditum prohibet. Utque sedans in nervos causae nocentis effectus praecipuus affectus est; ita tonica corticis virtus hujus praecipua actio est.

PORRO, ut inquinamenta vel contagio, quod supra quoque monstratum est, pro fermento septico, praesertim in regionibus calidioribus, agunt, et in primis viis humorum in putredinem vergentium abundantiam gignunt; ita corticem peruvianum, qui potenter antisepticus

ticus est, virtute antiseptica intermittentium curationem juvare, et alia eodem pertinentia, et putredini resistentia, qualis fructus, ut supra dicta sunt, suam opem conferre manifestum est.

Cujus de ratione dandi ut pauca loquar, quo certior effectus sit, quam plurimo dato opus est; exiguum enim aliquid datum nihil proficit. Hac in regione, nihil infra drachmas sex, vel unciam unam, accessionem febris intermittens prohibet; neque modum corticis dandi, nisi ventriculus, quicquam fere statuit. Qui si tantum respuit, quantum, uno tempore acceptum, ad occurrendum accessioni fatis sit, portiones plures quam proxime inter se administrantur. Quippe cum, duarum horarum, quam quatuor, spatio, uncia data multo plus proficiat; eadem, quam proxime accessionem futuram datae, summo sunt auxilio: Itaque eadem uncia intra sex vel octo horas ante accessionis initium, quam in duodecim vel quindecim horas delata, praesentiori longe auxilio est. Unde disci potest, ut reliquae portiones singulae singulas drachmas non excefferint, novissima, quo jam instanti

instanti accessioni potentius obviam eat, binis, si fieri potest, constari debet *.

Quod ad formam, qua cortex peruvianus rectius datur, attinet, ficcus et contritus certissimus est. Cujus formae, ad nauseam saepe e ventriculo medicamentum rejicientem tegendam, caffè, lac, cerevisia Thameiensis, et similia alia, adhibita sunt. Quibus omnibus haud paulo tenue crustulum praestat. Quod si forma liquida magis placebit, pulvis cum gummi arabico quam exilissime atteri, deinde aqua diffundi, debet. Quo fit, ut, in aqua suspensus, aequè ac decoctus, facile ac blande devoretur; solidae formae proximum extractum est; quod optime aqua aut spirituoso liquore fit. Quibus spem medici frustrantibus, decoctus cortex usurpatur; qui liquor, ut DE HAEN vult, ne turbidus ventriculum offendat, percolari debet. Quod si nulla harum formarum alicui tolerabilis erit, idem medicamentum in alvum immitti, sed altera parte plus quam ore, oportet.

Cortex peruvianus, quo tempore primo datur, saepe alvum, adeoque purgat, ut hanc sistendi necessitas sit: Ad quod efficiendum, paululum opii optimum est.

CORTICI

* Vide Cul. praelect.

CORTICE peruviano sic ut praemonstravi administrato, praecipue post alia, de quibus quoque retuli, auxilia adhibita, raro intermittentes non cedunt, raro non tolluntur. Qui, si quando tamen frustra est, alia, quae haud facile hic comprehenderem, experienda sunt.

E R R A T A.

- Pag. 2. l. 8. deduxerunt *lege* diduxerunt.
 Ib. l. 11. referre *lege* referri.
 p. 4. l. 5. falli *lege* fallere.
 p. 7. l. 7. molesta *lege* molesto.
 p. 16. l. 1. and 2. alia *lege* aliis.
 p. 24. l. 11. purgato *lege* purgata.
 p. 27. l. 13. replentes *lege* replentis.
 p. 28. l. 21. *post* actione, *adde* cerebri.
 p. 32. l. 9. adveniunt *lege* eveniunt.
 p. 33. l. 4. latum *lege* latens.
 ib. l. 9. Spasmmum *lege* Spasmo.
 p. 35. l. 20. pro Emetica *lege* Purgantia.
 p. 36. l. 2. temperie *lege* temperiei.
 p. 37. l. 17. Saevities *lege* durities.
 ib. l. 18. Redeundum *lege* Reducendum.
 p. 38. l. 11. pro alia mala, longe, *lege* alia mala longa.
 ib. l. 15. absterruit *lege* absterruerit.
 p. 41. l. 3. affectus *lege* effectus.
 p. 42. l. 22. delata *lege* dilata.
 p. 43. l. 2. constari *lege* constare.
 p. 44. l. 6. comprehenderem *lege* comprehenderim.